



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. Ad quid ultima fidei nostræ resolutio, tam quoad propositionem &
revelationem credendorum, quàm quoad assensum quem fideles eis
præbent, referenda sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

non assentiretur per fidem; & rursus isti revelationi per aliam revelationem assentiri debebit, & sic dabitur processus in infinitum.

Respondeo negando sequelam: cum enim huic articulo, *Deus est Trinus & Unus*, fidelis assentitur, quia Deus revelavit, huic etiam propositioni, *Deus revelavit*, per eandem illam revelationem assentitur: Divinum enim testimonium primo & principaliter est de seipso, & consequenter de aliis, inquit S. Thomas quæst. 14. de verit. art. 8. ad 2. conformiter ad verba Christi Ioan. 8. dicentis: *Ego testimonium perhibeo de meipso*. Sicut ergo lux solis non solum colores, & res corporeas, sed etiam seipsam manifestat: ita revelatio divina, quæ est lux veri, non solum divina mysteria, sed etiam seipsam revelat.

Obijcies quarto: Si obsecra Dei revelatio esset ratio formalis sub qua fidei, vel esset revelatio activa, vel passiva? Non passiva, alioquin cum talis revelatio sit mera denominatio extrinseca, vel ens rationis, tota fides per ens rationis regularetur. Sed nec etiam activa, quia ratio formalis sub qua, debet esse intrinseca rationi quæ, sicut in omni scientia ratio assentiendi alicui conclusioni, est ipsa ejus veritas intrinseca: revelatio autem activa, cum sit actio divina, non est intrinseca, nec aliquid ponitur rebus revelatis. Ergo &c.

Respondeo revelationem Dei, quæ dicitur esse ratio formalis sub qua fidei, sumi pro revelatione activa, seu pro actione Dei, ut connotante & manifestante veritates ad fidem pertinentes. Ad probationem in contrarium dicendum est, rationem sub qua debere quidem esse intrinsecam in scientiis, non tamen in fide: quia veritatibus revelatis non assentimur, nisi propter dicentis testimonium extrinsecum: ratio vero assentiendi conclusionibus, quæ in scientiis demonstratur, est ipsa earum veritas intrinseca, & scilicet, quæ possunt immediate & independentem a quocumque extrinseco cognosci.

Obijcies quinto contra secundam partem ejusdem conclusionis: Sub ratione præcisè illius veritatis Deus est obiectum formale sub quo nostræ fidei, cuius testimonium est omnino verum: Sed testimonium primæ veritatis in dicendo, etiam præcendendo ab ordine ad primam veritatem in cognoscendo, quæ est summa & infinita Dei sapientia, est omnino verum, ita ut nullo modo possit ei subesse falsum: veritas enim in dicendo, cuius testimonio falsitas aliqua subesse potest, nec est prima, nec summa: quandoquidem alia maior concipi potest, nempe veritas, cuius testimonium ita est verum, ut nullo modo possit esse falsum: Ergo Deus sub ratione primæ veritatis in dicendo, etiam ut præcisè a connotatione & ordine ad primam veritatem in cognoscendo, est obiectum formale sub quo nostræ fidei.

Respondeo distinguendo Majorem: Sub ratione illius præcisè veritatis Deus est obiectum formale sub quo, cuius testimonium est omnino verum, veritate formali & materiali, concedo Majorem: veritate quidem formali, sed non materiali, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: testimonium primæ & summæ veritatis in dicendo, ut præcisè ab ordine ad primam veritatem in cognoscendo, est omnino verum, veritate formali, concedo Minorem: veritate etiam materiali, nego Minorem, & Con-

Tom. 17.

A sequentiam. Solutio patet ex dictis in confirmatione probationis secundæ partis secundæ conclusionis.

ARTICVLVS II.

Ad quid ultima fidei nostræ resolutio, tam quoad propositionem & revelationem credendorum, quam quoad assensum quem fideles eis præbent, referenda sit?

Cum duo ad fidem nostram concurrant, videlicet unum præsuppositivè & aliud formaliter, nempe propositio & revelatio mysteriorum credendorum, seu assensus quem fideles eis præbent, duplex etiam fidei nostræ resolutio distinguenda est: una quæ sit præcisè quoad propositionem & revelationem credendorum, per quam nimirum responderetur interrogationi, quare credamus hoc vel illud esse à Deo revelatum? altera quæ sit quoad assensum, per quam responderetur ad interrogationem, quare Deo sua mysteria revelanti assentiamur? De utraque agimus in præfati, & inquirimus ad quid ultimò referenda sit?

Circa quod tres sunt præcipuæ Authorum sententiæ. Prima, sed hæretica, asserit ultimam resolutionem fidei nostræ etiam præcisè quoad propositionem credendorum, nullo modo fieri in Ecclesiam, sed vel in solam Scripturam, vel in internum Spiritum Sancti, cuiuslibet fidei ad intelligendam Scripturam specialiter assistentis, morum ita plures è Lutheranis & Calvinistis.

Secunda opinio, præcedenti extremè opposita, docet resolutionem ultimam fidei, non solum quoad propositionem credendorum, sed etiam quoad assensum, fieri in auctoritatem Ecclesiæ, non quidem totaliter, sed partialiter. Hanc tenent Michael Medina lib. 5. de recta in Deum fide cap. 11. Cardinalis Delugo in præfati, alique Recentiores ex schola D. Thomæ.

Tertia inter utramque mediā, quam communiter amplectuntur Thomistæ, asserit ultimam fidei resolutionem, quoad propositionem & revelationem credendorum, fieri quidem de via ordinaria in Ecclesiæ auctoritatem, determinantis & reificantis hoc vel illud esse à Deo revelatum, sed quoad assensum quem fideles præbet Deo sua mysteria revelanti, fieri solum in primam veritatem. Unde sit

§. I.

Resolvitur prima difficultas, & error Lutheranicus & Calvinistarum proscibitur.

Dico primò, regulam sufficientem ad discernenda revelata à non revelatis, neque posse esse solam Scripturam, neque Symbolum Apostolorum, ut ei conjunctum, neque internum Spiritum Sancti afflatum, sive privatum cuiusque fidei spiritum Dei ad Scripturam intelligendam, sed solam Ecclesiam à Spiritu Sancto directam, quæ veluti organo fidelibus loquitur, & credenda proponit, & revelat; subindeque in ipsam fieri ultimam fidei nostræ resolutionem, quoad propositionem & revelationem credendorum.

D d

Pro-

44 Probatur conclusio quoad singulas partes. Et in primis quod sola Scriptura non possit esse regula nobis sufficiens ad discernendum revelata à Deo, à non revelatis ab ipso, videtur manifestum: quia de ratione talis regulæ est, quod sit incorruptibilis, & quod vitari non possit; si enim vitio aut corruptioni sit obnoxia, nullus erit de tali regula securus, subindeque nec de distinctione reuelatorum à non reuelatis per eam facta: Sed Scriptura vitari & corrumpi potest, quia additioni, truncationi, & trasinuationi, subiecta est, & in super nedum hominum peruersitate, sed & Typographorum incuria, mendis & Erroribus secatere potest, ut in tanta codicum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum varietate, experientia compertum est: Ergo sola scriptura non potest esse regula nobis sufficiens, ad discernendum reuelata à Deo à non reuelatis.

45 Addo quod, sicut in politicis terrenis, ad componendas dissidentium lites, leges in mortuis membranis scripturæ non sufficiunt, utpote cum earum testimonia in utramque partem extorqueantur, & distrahantur, sed ad animatum iudicem, teste Aristotele 3. Ethic. cap. 3. recurendum est, qui illas interpretetur: ita in Ecclesiastica Hierarchia, ad componenda lites, omnes & controversias circa divinam mysteriorum nostrorum revelationem, non potest haberi Scriptura ut sufficiens regula; quandoquidem hæretici illam, iuxta proprium arbitrium, applicant ad quæ volunt dogmata suadenda, tanquam à Deo proposita; sed alia in super animata dari debet, penes quam stet Scripturam sacram interpretari, & declarare quanam dogmata contineat: alias enim deus minus fidelibus providisset in his quæ ad salutem spectant, quam infidelibus in terrenis, vel ad vitam civilem & politicam pertinentibus.

46 Ex quibus etiam manet probatum, quod neque Symbolum Apostolorum, etiam ut divinis Scripturis conjunctum, sit nobis sufficiens regula discernendi revelata divinitus à non divinitus reuelatis: est enim illud Symbolum quædam scriptura, subindeque vitio & corruptioni temporum similiter obnoxia; ejusque testimonia in partem hæreticorum, & partem Catholicorum distrahuntur. Quibus addo, quod sicut in speculativis, ad discernendum infallibiliter verum à falso, principia universalia non sufficiunt, et si conclusionum sint semina, & veritatem minus universalium virtualiter contineant; & in moralibus etiam, ad regulam agendorum nos sufficiunt prima principia practica naturaliter indita quamvis ex iis leges omnes oriantur: ita in nostra fide ejus articuli generales, in Symbolo Apostolorum contenti, etiam ut Scripturis adjuncti, non sufficiunt ad omnia mysteria à Deo reuelata cognoscenda, quamvis virtualiter ea omnia contineant; cum præter Scripturas divinas, & Symbolum Apostolorum, alia, nempe traditiones, à Deo proposita sint ad credendum, ut infra patebit.

47 Quod verò neque etiam internus Spiritus Sancti assensus, sive privatus cujusque fidelis Spiritus Dei ad Scripturam intelligendam, habeat rationem prædictæ regulæ, ex eo primum efficaciter probatur, quod regula sufficiens ad discernendum credenda à non credendis debeat esse non dubia, sed certa; spiritus autem ille privatus incertus sit & dubius; Calviniani enim non credunt hunc spiritum fuisse in Luthero, nec Lutherani

A in Calvino, nec ullus ex ipsis in Catholico Romano, unde incertum est quis illorum spiritu Dei ducatur.

Secundo, sicut revelatio credendorum non est privata, sed publica & communis, ita & ejus regula.

Tertio, semel admissio illo spiritu Dei privato in quolibet fidei, tanquam regula sufficiens ad discernendum credenda à non credendis, dabitur continua occasio schismatum; quilibet enim è fidelibus, putans aut fingens se habere spiritum illum reuelantem, eliget credendum quod sibi videbitur, nec poterit ab aliquo instrui vel convinci de opposito, quia affirmabit id sibi revelari à Spiritu Sancto: imò sæpe continget quod Spiritus Sanctus videatur sibi contrarius, dum unus asseret sibi esse revelationem oppositam ejus, quod alter dicit sibi quoque revelationem esse. Unde inter ipsos etiam Calvinistas dissensio interdum est, ut inter Calvinum & Bezam de initio capitis 8. Joannis, quod alter spuriam, alter divinam scripturam esse vult. Nullus item est Calvinistarum, qui Scripturæ interpretationes ab aliis factas approbet universaliter, sed unusquisque multas damnat, etiam Calvinii ipsius, & aliorum inter eos præstantiorum: non advertens Spiritum Sanctum æque ipsi deesse posse, atque aliis quos damnat, & esse aperte impossibile, ut Spiritus Sanctus sit infallibiliter in quolibet illorum, quorum unus damnatur ab alio, tanquam Scripturæ sensum non bene affectus. Qualem ergo fidei regulam, quam incertam, imò planè temerariam, & erroneam excogitarunt hæretici!

Denique vel ille privatus Spiritus Sancti assensus pertinet ad gratiam gratum facientem, vel ad gratiam gratis datam? (suppono ad alteram debere necessario pertinere, utpote cum sit donum Spiritus Sancti, cujus ad æquata divisio est in gratiam gratum facientem & gratis datam.) Si primum: Ergo qui existit in peccato mortali, non poterit decidere controversias fidei. Si secundum: quæro quanam gratia gratis data sit ille spiritus, vel prophetia, vel discretio spirituum, vel aliud ejusmodi? Si prophetia: spiritus ille erit incerta regula ad distinguendum revelata à non reuelatis; non enim semper Prophetarum mentibus præsto est spiritus prophetie, dicente Eliseo, *Domine celavit à me, & non indicavit mihi.* 4. Regum 4. nec semper discernit Propheta, an spiritus Dei potius quam proprio afflatus sit, ut docent D. Gregorius homil. 1. in Ezechiel. & S. Thomas in 4. quest. 171. art. 5. & patet in Propheta Nathan, qui deceptus est in prædicatione templi per David ædificandi, utpote cum per ipsum ædificatum non fuerit, sed per ejus filium Salomonem. Si ad discretionem spirituum ille spiritus dicatur pertinere, Contra, quia tam hæc gratia, quam præcedens, & alia gratis data, non omnibus etiam fidelibus datur, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 12. *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii discretio spirituum &c.* & tamen privatus spiritus Dei, qui ab hæreticis asseritur norma sufficiens propositionis credendorum, unicuique fidelium proprius dicitur. Super est ergo solium, quod auctoritas Ecclesiæ, ut à Spiritu Sancto specialiter directæ, pro tali regula habeatur. Unde 1. ad Timoth. 3. Ecclesiæ, *Columna & firmamentum veritatis* appellatur: quia nimirum fides nostra, quantum ad propositionem credendorum, illi

inhibetur Et Augustinus lib. contra epistolam fundamenti cap. 5. tradit celeberrimam sententiam: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret auctoritas, quâ sublatâ, nec enim Evangelio credere potero. Quapropter ibidem addit: Evangelium Nazæorum non admittam, quia illud non admittit Ecclesia. Cyrillus quoque Ierosolymitanus Cathedra. 5. asserit. fidem à sola Ecclesia tradi, & ex omni Scriptura muniri.

Advertendum tamen est, quod cum dicimus revelationem, seu propositionem Ecclesiæ, esse regulam credendorum, hoc intelligendum est, secundum legem ordinariam, & respectu communis fidelium: in Angelis namque (inquit Cajetanus hic §. ad tertium dubium) quibus Deus per seipsum revelavit & explicavit mysterium Trinitatis, non erat opus hac regula, &c. Et similiter in primis parentibus, quibus revelata sunt mysteria fidei, non erat opus hac regula, eadem ratione, quia scilicet Deus per seipsum revelavit hac, & intellectum eorum illustrando eorum mentem. Idem dicendum de Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, qui fuerunt deo directi seu à Deo immediate instructi de mysteriis fidei. Unde Petro Matth. 16. Christus dixit: Caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in celis est. Et Paulus ad Galat. 1. de seipso dicit: Neque enim ego ab homine accepi illud (scilicet Evangelium), neque didici, sed per revelationem Iesu Christi. Denique non repugnat quominus possit Deus hominem, in sylvis, vel apud barbaras gentes enutritum, immediate per seipsum illuminare, & de mysteriis fidei, aliis fidelibus ab Ecclesia propositis, instruere: in quo casu ille haberet fidem ejusdem speciei cum nostra, quod quidem idem obiectum formale haberet, & tamen propositio Ecclesiæ non esset ipsi regulare credendorum, sed lumen illud interius sibi divinitus datum, quo Deum mysteria sua sibi revelare cognosceret.

Contra istam conclusionem obijciunt hæretici: Si fidelis crederet mysteriis nostræ fidei, quia Ecclesia ea ut credenda proponit in resolutione nostræ fidei committeretur circulus vitiosus, crederet enim fidelis auctoritati Ecclesiæ, propter divinam revelationem, & iterum divinæ revelationi, propter auctoritatem Ecclesiæ. Idem circulus committi videtur, cum Catholici, interrogati cur credant Ecclesiæ, respondent, quia in Scriptura eius auctoritas maxime commendatur, & columna ac firmamentum veritatis dicitur: & cum rursus ab eis quaeritur, cur ipsi Scripturæ credant, huic quaestioni non aliter tolerant satisfecere, quam dicendo se credere Scripturam esse infallibilem, quia id asserit Ecclesia ut ergo vitiosus ille circulus vitetur, non in ipsam Ecclesiam, sed in internum Spiritum Sanctum asilatum, sive privatum cuiusque fidelis spiritum Dei ad intelligendam Scripturam, debet ultima fidei nostræ resolutio fieri, quoad propositionem & revelationem credendorum.

Sed facile est ab hac importuna vitiosa circulationis difficultate se liberare, tunc enim non committitur circulus vitiosus, quado fit circuitus seu transitus de uno in aliud, secundum diversam rationem, & in diverso causæ genere hoc autem contingit in proposito: credit enim fidelis mysteriis revelatis, propter divinam revelationem, tanquam propter causam formalem credendi; revelationem vero propter auctoritatem Ecclesiæ

A tanquam propter conditionem applicantem, sed regulam proponentem ea quæ credenda sunt, & discernentem credenda à non credendis? quod ad genus causæ directivæ, vel dispositivæ reducitur.

Quantum vero ad alium circulum, qui Catholicis ab Hæreticis exprobratur, dicendum est nullum esse inconveniens, quod Scriptura recipiatur propter Ecclesiæ auctoritatem, & rursus quop Ecclesiæ auctoritas per Scripturam demonstratur: sic enim Augustinus cap. 5. libri contra epistolam fundamenti ait: Evangelio non crederem, nisi auctoritas Ecclesiæ me compelleret. Et lib. 1. contra Cresconium cap. 3. dicit se Ecclesiæ credere, quia Scriptura eam demonstrat. Unde Scriptura & Ecclesia se habent ut duo Prophetæ, Christus videlicet & Ioannes, de se mutuo testimonium perhibentes: Ioannes enim commendavit Christum, à quo vicissim & ipse commendatus est. Hujus mutue causalitatis, & dependentiæ, plura habemus exempla, etiam in naturalibus: vapor enim est causa pluvie, & pluvia causa vaporis: vestes calefaciunt corpus, & contra: organificatio corporis est dispositio ad introductionem animæ, & tamen ab ipsa in genere causæ formalis dependet; cum anima actus corporis organici definitur. Plura alia exempla ad duximus in Tractatu de justificatione disp. 1. art. 3. quæ ibidem videri poterunt. Nihil ergo prohibet, per Ecclesiam Scripturas à nobis agnosci, & per Scripturas Ecclesiam: hæc enim notitia non tam à Scriptura aut Ecclesia, quam à divina auctoritate derivatur: sicut quando duo Prophetæ à Deo missi, de seipso mutuo testimonium perhibent, illud non tam ab ipsis Prophetis, quam à Deo, qui utriusque præfatus est, proficitur.

§. II

Alia difficultas expeditur, & sententia Cardinalis Dolugo refellitur.

Dico secundò: Resolutio fidei, quoad assensum, quem fidelis præbet Deo sua mysteria revelanti, fit solum in primam veritatem, non vero in Ecclesiæ testimonium.

Probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. dicente: Si consideremus formalem rationem objecti fidei, nihil est aliud quam veritas prima. Sed resolutio fidei quoad assensum quem fidelis præbet mysteriis revelatis, in rationem formalem objecti ipsius referenda est, ut de se patet: Ergo resolutio fidei, quoad talem assensum, fit solum in primam veritatem, non vero in testimonium Ecclesiæ. Unde idem S. Doctor ad illud Ioan. 4. iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus, hæc scribit. Quando homo, sive per rationem naturalem, sive per testimonia Legis & Prophetarum, sive per prædicationem Apostolorum, vel aliorum, manducatus credit, tunc potest dicere quod propter nullum illorum credit, nec propter rationem naturalem, nec propter testimonia legis, nec propter prædicationem Apostolorum, SED PROPTER IPSAM VERITATEM TANTVM.

Probatur secundò ratione: Id in quod fit ultima resolutio fidei nostræ, quoad assensum illum quem fidelis præbet mysteriis revelatis, debet esse saltem partialiter, motivum formale ad talem assensum: Sed testimonium Ecclesiæ, etiam ut à Spiritu Sancto directæ, non est etiam partialiter

partialiter, motivum formale ad talem assensum, sed hoc solum testimonio divinae veritatis convenit: Ergo non in Ecclesia auctoritatem, sed solum in primam veritatem, ultimò resolvitur fides nostra, quoad assensum què fidelis præbet mysteriis revelatis. Maior est certa: ideo enim in omnium doctrina, prima veritas est id in quod, saltem partialiter, ultimò fides nostra quoad assensum resolvitur, quia est, partialiter saltem, motivum formale assensus fidei. Minor verò probatur. Quod est tantum conditio ad assentiendum mysteriis revelatis, non est, etiam partialiter, motivum formale ad talem assensum, sed testimonium Ecclesiae est tantum conditio requisita ad assentiendum mysteriis revelatis: Ergo &c. Maior constat, Minor autè probatur. Testimonium Ecclesiae se habet in ordine ad talem assensum, sicut propositio bonitatis obiecti se habet ad voluntatem, ut circa ipsum auctoris actum eliciat, quandoquidem idè duntaxat requiritur, quia sicut voluntas non potest amare obiectum, nisi ei proponatur ab intellectu eius bonitas; ita similiter nequit fidelis assentiri Deo sua mysteria revelanti, nisi per Ecclesiam ei proponatur & innotescat divina revelatio. Ergo sicut propositio bonitatis obiecti, facta ab intellectu voluntati, est in doctrina Philosophorum conditio tantum sine qua non amaret voluntas, non verò motivum formale ipsius ad amorem, etiam parziale, sed hoc bonitati duntaxat convenit: ita similiter testimonium Ecclesiae proponentis aliquid tanquam à Deo revelatum, habet quidem rationem conditionis, nec scilicet de via ordinaria requisita, ut fidelis assentiatur mysteriis revelatis, non tamen rationem causæ, & motivi formalis, etiam particularis, ad talem assensum, sed hoc soli primæ veritatis revelanti convenit.

34 Probatur tertio. Quamvis Moyses loqueretur ad populum, inspiratione divina, tamen fides antiquorum, quoad assensum quem præbebant divinis mysteriis, ipsi à Moyse propositis, non resolvebatur in eius, sed Dei testimonium, iuxta illud Exodi 14. *Crediderunt Domino, & Moyses servus eius*: quo significatur ludæos Moyse credidisse, quia crediderunt Domino per Moysen loquenti: Ergo similiter, licet Ecclesia proponat nobis mysteria fidei quæ credenda sunt, & credenda à non credendis discernat, nostræ tamen fidei resolutio, quoad assensum, non fit in illam, sed in primam veritatem revelantem, quæ, ut ostendimus articulo præcedenti, est obiectum formale sub quo fidei. Vnde I Ioan 4. *Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos*: ac si diceret, idè aliquis credit nobis loquentibus, quia credit Deo.

55 Denique suaderi potest conclusio. In id ultimò, quoad assensum, resolvi non potest, etiam partialiter, fides nostra, quod importat aliquid creatum: Sed testimonium Ecclesiae, etiam prout est organum Spiritus Sancti consideratæ, importat aliquid creatum: Ergo in illud fides nostra, quoad assensum, ultimò resolvi nequit, etiam partialiter. Minor constat. Ecclesia enim importat certos homines à Spiritu Sancto directos, qui haud dubie sunt quid creatum. Maior verò probatur. In id duntaxat potest ultimò resolvi fides quoad assensum, quod est saltem partialiter obiectum formale ipsius sub quo: Sed nihil creatum est etiam partialiter obiectum formale sub quo nostræ fidei: Ergo fides nostra non potest, quoad assensum, ultimò resolvi, etiam partiali-

A ter, in aliquid creatum. Maior est creta, id enim in quod, quoad assensum, ultimò resolvitur fides nostra, debet esse motivum formale talis assensus: motivum autem formale quo per fidem assentimur Deo, & obiectum formale sub quo fidei, idem omnino sunt. Minor verò, quam negat Delugo, contendens obiectum formale sub quo fidei nostræ adæquatum, esse compositum ex creato & increato, nimirum ex prima veritate loquente, & testimonio Ecclesiae per quam loquitur, probatur auctoritate D. Thomæ hic art. 1. dicentis: *Si consideremus formalem rationem obiecti fidei, nihil est aliud quam veritas prima*: quæ verba aperte significant, nihil creatum, etiam partialiter, ingredi obiectum formale sub quo fidei. Ratio etiam id suadet: nam si obiectum formale sub quo nostræ fidei esset partialiter aliquid creatum, fides nostra non esset adæquate divina, nec crederemus Deo propter solam ejus auctoritatem, seu veritatem, sed solum partialiter, nam etiam ei crederemus propter auctoritatem creaturæ, qualis est Ecclesia. Item fides non esset virtus Theologica, cum de ratione virtutis Theologicae sit, Deum tanquam obiectum formale & adæquatum respicere.

C Nec valet quod aliqui dicunt, nempe ad rationem virtutis Theologicae satis esse ut obiectum formale quod sit Deus, licet obiectum formale sub quo sit creatura, vel aliquid compositum ex creato & increato. Non valet, inquam, nam virtus Theologica nihil formaliter respicit quam Deum: At obiectum sub quo est formaliter quàm obiectum quod, ut ex dictis art. præcedenti constat: Ergo obiectum sub quo virtutis Theologicae non potest esse aliquid creatum, vel mixtum ex increato & creato. Et hoc patet in aliis virtutibus Theologicis: obiectum enim formale sub quo spectat sola divina potentia, ut nos adjuvans ad obtinendam beatitudinem, & obiectum sub quo charitatis, sola bonitas divina, ut nos movens ad diligendum Deum & proximum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

C Contra istam assertionem obijciunt primò: ad Roman. 10 dicitur: *Vos estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Vbi Paulus reducit totam fidem in Apostolos, quorum prædicatione primum illuxit.

Secundò. Augustinus supra citatus ait: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret auctoritate*: Ergo censet quod Ecclesiae auctoritas est motivum saltem parziale nostræ fidei, subindeque fidem, in illam, partialiter saltem, resolvi quoad assensum, quem fideles præbent mysteriis à Deo revelatis.

Terrio: In hoc solum fidelis distinguitur ab hæretico, quod fidelis credit Ecclesiae, hæreticus autem ei non vult credere, sed soli primæ veritati: Ergo signum est Ecclesiae auctoritatem ad obiectum formale sub quo fidei pertinere, & per consequens in eam assensum hominis fidelis partialiter saltem resolvi.

Quartò: Assensus fidei humanæ, quem datus Regiloquenti per suos legatos, resolvitur partialiter in auctoritatem nuntiorum: Ergo similiter assensus fidei, quem præbimus Deo, per

ARTICVLVS III.

*An revelationes private ad obiectum
fidei pertineant*

per Apostolos, per Summum Pontificem, & Concilia loquenti, resolvitur particulariter in Ecclesiæ autoritatem. Consequentia patet, cum ex paritate rationis, tum etiā quia 2. ad Corint. 5. Apostoli proponentes res fidei, dicuntur Christi legati, seu pro Christo legatione fungi. Denique: si quæras ab aliquo fidei, quare credis Deum esse Trinum & Unum? Respondebit, quia Deus revelavit. Si verò iterum quæras unde scis Deum revelasse? Respondebit, quia Ecclesia dicit: Ergo ultima fidei nostræ resolutio fit in Ecclesiam, non verò in primam veritatem revelantem.

Sed hæc levia sunt, & facile dilui possunt. Ad primum enim respondetur, Apostolum reducere fidem ad prædicationem Apostolorum, & propositionem Ecclesiæ, non ut rationem formalem assentiendi, sed solum ut in conditionem applicantem: eo proportionali modo, quo apprehensio intellectus est conditio applicans obiectum formale voluntatis, scilicet bonitatem, ut in secunda probatione conclusionis declaravimus.

Ad secundum dicendum, verba illa Augustini, non significare Ecclesiæ autoritatem esse motivum, seu rationem formalem cur credamus Evangelio, sed solum illam esse ordinarium medium cognoscendi quid sit pro Evangelio recipiendum: unde ex illo testimonio solum potest colligi, ultimam fidei nostræ resolutionem, quoad propositionem & revelationem credendorum, fieri in ipsam Ecclesiam, ut in prima conclusione docuimus; non verò quoad assensum mysteriis revelatis, de quo est quæstio in presenti.

Ad tertium respondeo, hæreticum distinguere fidem in eo quod fidelis credit primæ veritati revelanti, ut obiecto formali sub quo fidei, & Ecclesiæ ut infallibili regulæ in proponendo res fidei, hæreticus verò neque etiam isto modo credit Ecclesiæ proponenti, & consequenter nec primæ veritati revelanti, cum Deus revelaverit Ecclesiam in proponendis rebus fidei errare non posse.

Ad quartum, concessio Antecedente, nego consequentiam, & paritatem: Ratio verò disparitatis est, quia cum fides, quæ creditur Regi per legatos suos loquenti, sit humana, non est mirum quod pars ejus obiecti formalis sub quo, sit, præter autoritatem Regis, autoritas ipsa Legati; subindeque nec quod in utramque resolvatur quoad assensum, at verò fides nostra totaliter divina est; unde testimonium humanum, sive autoritas Ecclesiæ, quæ est quid creatum, non potest esse ejus obiectum formale sub quo, etiam parziale, sed tantum conditio requisita ad ejus motionem & causalitatem: sicut propositio bonitatis obiecti, est tantum conditio necessaria, ut bonitas moveat voluntatem ad sui amorem & prosecutionem.

At ultimum solutio patet ex dictis: resolutio enim fidei nostræ fit in Ecclesiam, ut in regulam proponentem credenda, & ea discernentem à non credentis; non verò ut in rationem formalem credendi, seu assentiendi mysteriis revelatis: hæc enim non potest esse aliquid creatum, vel mixtum ex creato & increato, sed solum ipsa prima veritas in dicendo, ut in ultima probatione nostræ conclusionis offendimus. Vnde

egregie Cassianus: *Deus hoc dixit: verbum illius summa ratio est, removeo argumenta, removeo disputationes, sola mihi ad credendum sufficit persona dicentis.*

Tom. IV.

Notandum primò, revelationem aliquam potest dici privatam duobus modis. Primò ex parte personæ cui fit, quando scilicet aliquid revelatur per aliquam personam particularem, v. g. per S. Brigittam, vel S. Catharinam Senensem, non verò per Ecclesiæ Principes, ut per Prophetas, Apostolos, & universales Pastores, quos Deus esse voluit quasi universalis instrumenta, ad manifestandam doctrinam coelestem, & quasi cælos quosdam in hoc spiritali mundo Ecclesiæ. Secundò ex parte rei propositæ seu revelatæ, quando nimirum veritas quæ manifestatur, ad communem totius Ecclesiæ utilitatem & instructionem non pertinet, nec ordinem habet ad Deum, ut ad obiectum formale quod nostræ fidei, v. g. si Deus mihi revelaret numerum stellarum quæ sunt in cælo, vel arenarum quæ sunt in litore maris, vel ea quæ modò fiunt apud Indos & Tartaros, talis revelatio diceretur privata, non solum ex parte personæ, sed etiam ex parte materiæ, seu rei quæ manifestaretur & revelaretur: Si verò aliquid ad communem totius Ecclesiæ instructionem pertineat mihi patefaceret, talis revelatio esset solum privata ex parte personæ, non verò ex parte materiæ, seu rei revelatæ.

Notandum secundò, fidem dupliciter considerari posse: primò ut est Catholica, seu universalis, & spectat ad totam Ecclesiam, per totum orbem diffusam; secundò ut est Theologica & divina, seu quatenus respicit divinam veritatem revelantem, ejusque testimonio innititur.

His præmissis, facile poterit resolvi difficultas proposita, quæ Theologos in duas sententias extremè oppositas divisit; quibusdā affirmantibus revelationem privatam ad fidem sufficere, aliis verò id negantibus. In quam partem magis communiter inclinant Thomistæ. Existimo tamen utramque sententiā conciliari posse, distinctione adducta duplicis revelationis privatæ, & duplicis fidei, Catholicæ scilicet & Theologicæ. Vnde

Dico primò: Si Deus, etiam ut auctor supernaturalis revelaret alicui aliquid temporale, sub ratione temporali, quod proinde ad communem Ecclesiæ instructionem & utilitatem non pertineret, neque in Deum referretur, talis revelatio non spectaret ad fidem infusam, supernaturalem, & theologiam, sed ad donum Prophetiæ, vel ad aliud lumen supernaturale, per modum transeuntis communicatum.

Probatur prima pars: De ratione fidei, ut est virtus Theologica, est respicere Deum ut obiectum formale quod, & cætera omnia prout ordinantur ad ipsum: Ergo si aliqua revelarentur à Deo sub ratione temporali, quæ non pertinerent ad religionem Christianā, nec ordinem haberent ad Deum, non attingerentur à fide, ut est virtus Theologica. Consequentia patet, Antecedens probatur, tum ex D. Thoma hic art. 1. dicente: *Nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum*, tum etiam exemplo spei & charitatis, quæ etiam sunt virtutes Theologicæ: nam quidquid per spem speratur, & per charitatem diligitur, est in ordine ad Deum ut obiectum formale quod.

Confirmatur. Fides in hoc distinguitur à prophetia, quòd illa de se respicit aliquid æternum, ista

Dei iij